



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 72. Vtrum Deus quoslibet possit pro libito prædestinare, faciendo, vt beatitudinem liberè mereantur, vel reprobare, permittendo, vt liberè beatitudinem demereantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

QVÆSTIO LXXII.

Vtrum Deus quoslibet possit pro libito prædestinare, faciendo vt beatitudinem liberè mereantur, vel reprobare, permittendo vt liberè beatitudinem demereantur?

1. **V**idetur Deus posse pro libito quoslibet prædestinare ad gloriam, vt coronam, si mereantur gloriam, sed non esse ita dominus liberi arbitrij, vt possit pro libito facere, vt liberè gloriam mereantur: ac similiter posse quidem quoslibet destinare ad æterna supplicia, si peccent, at non posse pro libito permittere, vt peccent: primo quia vt ex principijs Stoicorum arguebant Pelagiani, actus formaliter liberi creaturis rationalibus non sunt liberi Deo; sed actus meritorij, vel demeritorij vitæ æternæ sunt formaliter liberi creaturis rationalibus; ergo non sunt formaliter liberi Deo; ergo Deus non est liber ad faciendum, vt beatitudinem mereamur, vel ad permittendum, vt illam demereamur, sed solum potest velle dare potentiam liberam merendi, vel demerendi beatitudinem, & ad beatitudinem, vel ad eius æternam priuationem destinare, si illam mereamur, vel demereamur.

2. Secundò auxilia indifferentia sunt frustrabilia à libero arbitrio; ergo posset contingere, vt aliquod liberum arbitrium redderet frustranea, & inefficacia omnia auxilia indifferentia, per quæ Deus posset ipsum mouere ad actus liberos, quibus mereretur beatitudinem; ergo Deus non posset facere, vt hoc liberum arbitrium mereretur beatitudinem, ac non posset illud prædestinare ad beatitudinem vt coronam meritorum. Similiter posset contingere, vt aliquod liberum arbitrium pro nullo casu veller peccare; ergo Deus non posset permittere, vt hoc liberum arbitrium peccaret, & sic mereretur æterna supplicia, ac proinde non posset illud reprobare, ac destinare ad æterna supplicia, permittendo, vt illa liberè mereretur.

3. Respondeo Pelagianos ex doctrina Stoicorum, & ex fundamento allato in primo argumento docuisse, Deum posse pro libito quemlibet prædestinare ad gloriam vt coronam, si mereatur gloriam, at non posse pro libito facere, vt gloriam mereatur; ac similiter posse quoslibet destinare ad æterna supplicia, si peccent, at non posse pro libito permittere, vt peccent. Hinc consequenter docuerunt, Deum dare nobis potentiam ad merendum, & aliquam gratiam saltem externam, qua facilioremur, & inclinemur ad faciendos actus meritorios vitæ æternæ, sed mordicus negarunt Deum dare nobis ipsa merita, vel habere potestatem dandi merita, & permittendi peccata.

4. Hac opinio est hæretica, & contra illam certum est ex fide Deum esse ita dominum,

cuiuslibet liberi arbitrij creati, & peccabilis, vt habeat potestatem mouendi efficaciter creaturas liberas ad quoslibet actus liberos bonos, & permittendi, vt faciant quodlibet peccatum, & quoslibet actus malos. Probatur primo ex Scriptura. Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Domini; quocunque voluerit inclinabit illud.* Ad Rom. 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat: & paulò post: An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud autem in contumeliam?* Ierem. 19. *Eccc sic, vt lutum in manu figuli, ita vos in manu mea.* Matth. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham.* Epist. Iudæ: *Potens est vos conseruare sine peccato.*

5. Probatur secundò ex Augustino lib. de correptione, & gratia cap. 14. *Volenti saluum facere nullam hominis resistit arbitrium. Sic enim velle, & nolle in volentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem.* In Enchirid. cap. 98. *Quis porò tam impie desipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, & ubi voluerit, in bonum non posse convertere?* Idem docet cap. 96. 97. & alibi sæpè.

6. Probatur tertio rationibus desumptis ex Augustino. Nam Deus habet potestatem dandi unicuique non solum quod est minus bonum, sed etiam quod est maius bonum; sed maius bonum est liberè non peccare, ac liberè mereri vitam æternam, quam posse mereri, & posse non peccare; ergo Deus habet potestatem liberam dandi unicuique non solum potentiam merendi, & non peccandi, sed etiam dandi ipsa merita, & ipsum liberè non peccare; sed si non posset liberè permittere, vt peccaremus, non posset nobis liberè dare, vt liberè non peccaremus; ergo &c. Confirmatur: nam cum melius sit mereri, quam posse mereri, iuxta hæresim Pelagij à Deo solum haberemus potentiam merendi, quæ est minus bona, ipsa autem merita non haberemus à Deo, sed solum à libero arbitrio. Huc spectant loca Script. 1. ad Corint. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* ergo ipsa merita à Deo accipimus: *Quis te discernit?* sed discernimur per merita; ergo Deus dat merita. Semipelagiani conuicti argumentis Augustini concesserunt Deum dare creaturis non solum potentiam merendi, sed etiam merita, excepto primo, & ultimo merito, hoc est excepto initio fidei, quod est primum meritum, & excepta finali perseverantia, quæ est vltimum meritum; contra quos Augustinus paulo ante mortem, scripsit duos libros de prædestinatione Sanctorum, & de Bonò perseverantia, in quibus apertis testimonijs Scripturarum efficaciter probat Deum dare nobis omnia omnino merita, etiam initium fidei, & finalem perseverantiam: alioquin aliquid haberemus, quod non accepissemus à Deo, quod repugnat Scripturis, & rationi naturali.

7. Hinc concluditur Deum posse pro libito non solum quemlibet prædestinare ad gloriam, si illam mereatur, sed etiam posse prædestinando dare illi omnia merita, per quæ gloriam mereat.

mereatur, & posse pro libito non solum quemlibet destinare ad æterna supplicia, si peccet, sed etiam permittere peccata, per quæ mereatur æterna supplicia.

8. Ad 1. nego maiorem. Actus formaliter liberi creaturis sunt etiam liberi Deo, ita ut si sint honesti, Deus habeat potestatem faciendi, ut illos faciamus, vel permittendi, ut non faciamus; si sint inhonesti, & peccaminosi, habeat potestatem permittendi, ut illos faciamus, vel faciendi, ut ab illis liberè, & meritorie abstinemus, ut explicabitur infra quæstione 86. in qua agitur de concordia libertatis creaturæ cum diuina providentia, & prædestinatione.

9. Ad 2. distinguo antecedens: auxilia indifferentia sunt frustrabilia singula, concedo; sunt frustrabilia secundum totam collectionem, nego. Liberum arbitrium potest frustrari singula auxilia indifferentia, at non potest frustrari omnia collectiue. Ratio est, quia liberum arbitrium potest quidem resistere singulis auxiliis indifferentibus, utpotè habentibus finitam virtutem motiuam ad consensum; at non potest resistere diuinæ Omnipotentia: ut potenti mouere, & disponere liberum arbitrium ad consensum infinitis modis, & infinitis auxiliis maioribus, ac potenti superare omnes difficultates, propter quas de facto liberum arbitrium non consentit huic auxilio; sed si liberum arbitrium posset frustrari omnia omnino auxilia, posset resistere diuinæ omnipotentia: ut potenti mouere infinitis modis, & per infinita auxilia maiora, & maiora; ergo &c.

10. Quæritur, utrum hæc impossibilitas resistendi diuinæ omnipotentia: ut potenti mouere per infinita auxilia maiora, & maiora, sit impossibilitas metaphysica vel solum moralis?

11. Dicendum contra aliquos, quod est impossibilitas metaphysica, ac non solum moralis. Probatur primò, nam allata loca Scripturæ, & Patrum significant impossibilitatem metaphysicam, & non solum moralem. Secundò probatur: nam est impossibile metaphysicè, ut Deus non habeat perfectum dominium creaturarum rationalium; sed si Deus non posset creaturas rationales mouere ad quoslibet actus liberos, non haberet perfectum dominium creaturarum rationalium; ergo &c.

12. Dices: liberum arbitrium potest resistere singulis auxiliis indifferentibus; ergo etiam omnibus.

13. Respondeo, nego consequentiam. Ex doctrina communi Theologorum non valet: possumus moraliter vitare singula peccata venialia; ergo possumus moraliter vitare omnia venialia collectiue. Rursus non valet: possumus moraliter frustrari singula auxilia; ergo possumus moraliter frustrari omnia collectiue; ergo neque valet: possumus metaphysicè resistere singulis auxiliis indifferentibus; ergo possumus metaphysicè resistere omnibus collectiue. Ratio est, quia ex eo, quod possumus resistere diuinæ omnipotentia: ut mouenti per hoc auxilium finitæ virtutis, non sequitur,

quod possumus resistere diuinæ omnipotentia: ut potenti mouere per auxilia plura, & plura, & virtutis syncategorematicè infinitæ, hoc est maioris, & maioris; ergo &c.

QVAESTIO LXXIII.

Utum potestas diuina quoslibet prædestinandi, faciendi, ut mereantur beatitudinem, vel reprobandi, permittendo, ut illam demereantur, fundetur in scientia media?

1. Videtur non sufficienter fundari in scientia media. Deus enim potest per scientiam mediam videre aliquod liberum arbitrium fore ita durum, ut restitutum esset omnibus auxiliis indifferentibus; ergo stante hac scientia media, Deus non posset hoc liberum arbitrium prædestinare, faciendi, ut liberè mereretur beatitudinem.

2. Respondeo cum omnibus auctoribus Societatis, potentiam Dei ad quoslibet pro libito prædestinandos, faciendi, ut mereantur beatitudinem, vel reprobandos, permittendo, ut peccando finaliter, beatitudinem demereantur, sufficienter fundari in scientia media.

3. Probatur primò, & explicatur. Deus per scientiam mediam videt se in thesauris suæ omnipotentia: habere infinitas series vocationum, & auxiliorum indifferentium ad hoc, ut liberum arbitrium illis præuentum liberè obseruet præcepta, vel liberè transgrediatur præcepta, quæ si dederit Petro e. g. liberè obseruabit præcepta, perseuerabit finaliter in gratia, & merebitur vitam æternam; & habere alias infinitas series, quas si dederit, Petrus liberè transgredietur præcepta, perseuerabit finaliter in peccato mortali, & merebitur æterna supplicia; sed potest pro libito Petro dare hanc, vel illam seriem auxiliorum, & vocationum; ergo potest pro libito quemlibet vel prædestinare ad vitam æternam, faciendi, ut illam mereatur, vel destinare ad æterna supplicia, permittendo, ut finaliter peccet, & mereatur æterna supplicia.

4. Probatur secundò: nam Augustinus diuinam potestatem mouendi cor hominis prout voluerit, reducit ad potestatem mouendi cor hominis vocatione, quam scit esse congruam, vel incongruam; sed potestas mouendi cor hominis vocatione, quam Deus scit esse congruam, vel incongruam, fundatur in scientia media; ergo &c. Probatur maior, afferendo aliqua ex innumeris testimonijs Augustini. Lib. 1. ad Simplicianum, cap. 30. dicit: *Esti multos vocat, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur. Et clarissimè paulò post: Nullius Deus frustra miseretur; cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit congruere, ut vocantem non respuat. Et inferius loquens de Elau. Cum ergo alius sic, alius au-*

tem